mento. Nam cùm totum esse actus cognoscitiui sit repræsentare obiectum, eius veritas desumetur à conformitate repræsentationis obiecti vt est; vltra quam conformitatem nulla alia potest excogitari, & eâ positâ, dicitur actus verus, & veritas cognitionis: illa autem conformitas immediatè sequitur entitatem actus; ergo illa debet dici transcendentalis, & præter eam nulla alia admittenda est in ipso actu intellectus, cùm illa sufficiat, reddatq; actum verum; & ritè vocetur veritas cognitionis.

Ad confirm. Ad confirmationem, nega cognitionem falsam in repræsentando esse veram transcendentaliter. Nam cognitio falsa non est propriè cognitio, sed potiùs ignorantia. Sicut entitas falsa non est entitas, sed potiùs non entitas. Aut dic, quòd cognitio falsa connotatiuè sit tamen vera transcendentaliter. Explico, apprehendo auricalcum pro auro: illa cognitio est vera cognitio auri, ille (inquam) actus est verus veritate transcendentali & cognitionis; quia tamen obiectum ad extra, nempe auricalcum, non correspondet veritati illius cognitionis, ideò potest dici illa cognitio connotatiuè falsa, & extrinsecè: de se tamen est vera cognitio.

Idem dic de veritate enunciationis: & dum dicitur; Alia est veritas enunciatiua, alia entitatiua: hoc nego; nam tota entitas enunciationis est enunciare, ergo in enunciatione non est alia, quæ sit veritas enunciatiua, & alia quæ sit entitatiua; quia tota entitas est enunciatiua, in tantum enim esse enunciationis est entitatiuum, in quantum est enunciatiuum, & vice versâ: quia, inquam, totum esse enunciationis est enunciare; sicut & totum esse actus cognoscitiui est repræsentare obiectum; Ideò in actu cognitionis non est alia veritas entitatiua, & alia veritas repræsentatiua, cum totum esse actus intellectus sit repræsentare, ergo in illo actu esse & repræsentare sunt idem; ergo veritas entitatiua in illo actu erit veritas repræsentatiua, & per consequens transcendentalis. Et ex defectu huius animaduersionis, existimo authores contrariæ sententiæ fuisse deceptos duplicem veritatem in actu cognitionis, & in enunciationibus distinguentes.

Conclusio partitionis. Pro conclusione itaq; huius partitionis tenendum est contra communes opiniones, veritatem proprijssimè dictam esse in ipsis rebus etiam absq; ordine ad intellectum siue diuinum, siue creatum. Item tenendum est veritatem cognitionis esse verè veritatem transcendentalem, contractam tamen ad certum genus entis, nempe ad ens cognoscitiuum. Primum ex his sufficienter probatum habetur in prima resolutione: alterum verò in secunda resolutione satis superq; à nobis demonstratum est.

Et ex illis duabus resolutionibus, nullo negotio colligere est, quid veritatis, aut quid falsitatis contineant opiniones initio partitionis allatæ. Argumentum verò Durandi, in quantum videtur facere contra nos, dum probare intendit veritatem non esse in intellectu subiectiuè, soluitur, dicendo quòd illa conformitas sit conformitas in repræsentando, & quod illa repræsentatio nullo modo præcedat actum intelligendi formaliter loquendo: sed sit ipsemet actus intellectus, cuius totum esse est repræsentare obiectum, sicuti est.

Ex dictis quoque de veritate liquet quid dicendum sit de eius opposito, nimirum de falso, & falsitate; sicut enim veritas nihil est aliud, quàm quædam perfectio rei, quâ res ipsa habet esse secundùm suam naturam, & conforme suis principijs: ita falsitas nihil erit aliud, quàm quædam imperfectio, quâ res deuiat ab esse conformi suis principijs.

Hic inquiri posset, vndenam proueniat, quòd tantopere laboremus in indaganda veritate rerum? sed omissis varijs authorum placitis, & ambagibus, breuiter respondeo hoc pro venire aliquando ex parte rerum, aliquando ex parte nostri intellectus, & aliquando ex vtroq;: Ex parte quidem rerum, quando res præsertim sunt diminutæ entitatis, qua de causa dicunt Physici materiam primam esse difficilem cognitu: Ex defectu intellectus, quando res sunt valdè remotæ à sensibus; cùm enim nihil noster intellectus pro hoc statu possit percipere, nisi aliqualiter transierit per sensus, nihil mirum si res remotæ à sensibus difficiliùs à nobis penetrentur: Ex parte vtriusque, quando res sunt valde imperfectæ; quia vt sic, non sunt sufficienter intelligibiles, nec possunt ritè mouere sensus, & per consequens noster intellectus cum difficultate ad eas cognoscendas assurgit. *Vnde venit difficultas inueniendi veritatem.*

Partitio IV.

De Bono.

Communiter de Bono differunt Metaphysici, finem imponentes attributis entis, vt Suarez *disp. 10. Metaph.* Mendoza *disp. 7. Met. sect. 3.* Fonf. *4. Met. cap. 2. q. 7.* Meurissius *lib. 2. Metaph. cap 3. parte 3. q. 1.* Auersa *q. 7 Met.* & alij: Ex Theologis Alexander de Ales *1 p. q. 17.* Interpretes D. Thomæ *in commentarijs in q. 5. 1 partis.* Scotus *q. 18. quodlibeto 9.* Durandus *in 2. dist. 24. q. 1.* Aureolus *in 2. dist. 25.* *Num. 12. Varia opiniones de bono.*

Multiplex est bonum vt docent Moralistæ: sed hic tantùm intendimus inquirere quiditatem boni transcendentalis, quodq; conuertitur cum ente. Inquirimus, inquam, quidnam sit bonum transcendens, seu in quonam eius formalis & essentialis ratio consistat?

Hæ famosiores circa hoc occurrunt opiniones: Prima est Durandi citato, tenentis quòd ratio boni est ratio conuenientis, indicatq; illam conuenientiam esse conuenientiam in ordine ad aliud, esseq; relationem realem. *Secunda* est Capreoli, teste Vasquezio, collocantis rationem boni in relatione rationis ad appetitum. *Tertia.* est Auersæ *citat sect. 2. concl. 3.* dicentis, bonum nihil omninò addere supra ens, sed omne ens esse aliquo modo bonum per suam essentiam, id est præcisè ex vi suæ essentiæ absque aliqua perfectione superaddita.

Suarez *cit. sect. 1.* ait bonum supra ens addere rationem conuenientiæ, quæ non est propriè relatio, sed tantùm connotat in alio talem naturam habentem naturalem inclinationem, capacitatem vel coniunctionem cum tali perfectione: vnde bonitas dicit ipsam perfectionem rei, connotando prædictam conuenientiam seu

deno-